





1794, 22.

EXERCITATIO IVRIS PVBLICI
DE
PRAEROGATIVA S. R. I. PRINCIPVM
ELECTORVM SINE SPECIALI IMPERATORIS
CONSENSV TERRAS IMPERII ACQVIRENDI
AD ILLVSTRANDVM LOCVM AVREAÆ BYLLAE
CAP. X. §. 2. et 3.

QVAM
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE
PRAESIDE

D. CHRISTIANO RAV
SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE
INSTITVTIONVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

A. D. XII. MAII A. C. N. CIDI CCXCI
H. L. Q. C

DEFENDET
AVCTOR

IOANNES CHRISTIANVS KNOETZSCHKER
IVR. VTR. BACCAL.
FRIBERGA - MISNICVS



LIPSI AE
EX OFFICINA SOMMERIA



EXERCITATIO IVENS PVBBLICA

PHARMACOLOGICA S. R. L. PRINCIPALIA

ELIOTVM SIVE SPECIALIA PHARMACOLOGICA

AD ELIOTVM SIVE SPECIALIA PHARMACOLOGICA

CAP. I. §. 1.

ELIOTVM SIVE SPECIALIA PHARMACOLOGICA

PHARMACOLOGICA

D. CHRISTIANUS

SEMINARII PHARMACOLOGICI ET FACULTATIS PHARMACOLOGICAE

L. D. S. M. A. S. C. P. S. I. S. C. E. R. C. H. T. I.

IOHANNES CHRISTIANUS KNOTSCHKE

V I R O
PRAENOBILISSIMO ATQUE AMPLISSIMO
CHRISTOPHORO HENRICO THIELIO
PATRONO ATQVE FAVTORI
VENERANDO
S. P. D.
IOANNES CHRISTIANVS KNOETZSCHKER

10111

Quam diu iam atque studiose quaesivi occasionem pietatis in TE meae atque obseruantiae palam TIBI testificandae, eam gaudeo vehementer nunc tandem mihi semet obtulisse, cum edendus esset a me libellus, quem academico more pro cathedra aduersus dissentientes defenderem. Etenim cum TV, PATRONE VENERANDE, omni tempore tot tantisque beneficiis me ornaueris, vt plura profecto atque maiora vix a quoquam expectare possem, videbatur sane animi gratitudo a me postulare, vt, quanti facerem TVA in me merita, palam TIBI declararem atque significarem. Quemadmodum autem spero, a TE beneuole exceptum

VIR O
TRANNOBILISSIMO ATQUE AMPLISSIMO
CHRISTOPHORO HENRICO THELLO

exceptum iri hoc pietatis in TE meae monumentum, quod
hac epistola NOMINI TVO ponere ausus sum, ita sanctissime
TIBI spondeo atque polliceor, me semper omni studio in eo
elaboraturum esse, ut clarissime intelligas, a TE beneficia haec
haud in indignum collata esse. Ceterum summum Numen ardentissimis
precibus imploro, ut TE cum AMPLISSIMA FAMILIA diu adhuc saluum,
sospitem atque incolumem conseruet, TIBIque cuncta, quibus
humana censetur felicitas, bona largiatur ac tribuat.
Ita vale, VIR OPTIME, atque me, sicuti hactenus fecisti,
in posterum quoque favore TVO complectere. Scripsi in Lipsica
Litterarum Vniuersitate. d. X. Maii A. C. N. CIDICCCXCI.

Inter

Inter complura alia insignia iura ac priuilegia, quibus Imperator Carolus IV. S. R. I. Principes Electores ornauit, merito etiam connumeratur facultas terras Imperii sine speciali Imperatoris consensu acquirendi. Meminit eius rei Imperator in Aurea Bulla *Art. X. §. 2. et 3.* cuius verba ita se habent: „*Statuimus praeterea — — — — — quodque futuris perpetuo Bohemiae Regibus hac nostra Imperiali constitutione et gratia perpetuo valituris, a quibuscunque Principibus, Magnatibus, Comitibus ac personis aliis, quascunque terras, castra, possessiones, praedia siue bona liceat emere, comparare, seu in donum vel donationem ex quacunque causa, aut in obligationem recipere, sub talium, terrarum, castrorum, possessionum, praediorum seu bonorum conditione consueta, ut videlicet propria recipiantur vel comparentur ut propria, libera vel libera, et ea, quae dependent in feudum, similiter emanent in feudum, seu comparata taliter teneantur; ita tamen, ut ipsi Reges Bohemiae duxerint adplicanda, ad pristina ac consueta iura de talibus sacro explenda et reddenda Imperio sint adstricti. Praesentem nihilominus constitutionem et gratiam, virtute praesentis legis nostrae Imperialis, ad vniuersos Principes Electores, tam Ecclesiasticos,*

A

quam

quam Seculares, successores et legitimos heredes ipsorum plene
extendi volumus, sub omnibus modis et conditionibus, ut prae-
fertur.“

De qua quidem singulari praerogativa quamquam
interpretes A. B. Io. Petr. a Ludewig ^{a)} nec non Io. Dan. ab
Olenschlager ^{b)}, ut ne vetustiores quidem commemorem,
et qui peculiari libello de hoc argumento exposuit, Io.
Franc. Winterus ^{c)} varia iam atque egregia attulerunt, quae
ad ostendendam illius vim et illustrandum simul Carolinae
legis locum, in quo sedes huius eximii plane iuris habetur,
multum facere possent; haud tamen existimauimus, vitos
doctos magnopere nos reprehensuros esse, quod scribendi
necessitate nobis imposta, de ea ipsa re non nihil commentari
instituerimus.

I.

*Variae Interpretum sententiae de causa, quae Imperatorem Caro-
lum IV. mouit, ut Principes Electores hoc privilegio ornaret.*

Haud profecto parum is Aureae Bullae locus inter-
pretes Iuris Publici torfit. Cum enim exinde apparere vi-
deatur,

a) in der Vollständigen Erläuterung Copit. X. §. 2. §. LIX. p. 221. fgg.
der Goldenen Bulle ad Tit. X. §. 2.

T. 1. p. 908. fgg.

b) in der Neuen Erläuterung der
Goldenen Bulle Kaiser Carls des IV. ad

c) in Diss. de Praerogativa Elec-
torum S. R. I. circa acquirendas absque
specifico Imperatoris consensu terras
Imperii Argent. ao. 1721, defensa.

deatur, antea naturalem Principum Imperii libertatem possessiones per nouam acquisitionem augendi atque hoc modo potestatem amplificandi, nimis oportere restrictam fuisse atque limitatam; hoc omnino non potuit non omnes prope modum, qui locum hunc explicandum adgressi sunt, ita offendere, ut eum nisi prorsus obscurum, certe tamen intellectu admodum difficilem arbitrarentur. Vnde etiam haud dubie euenit, ut potissimum super genuina causa, quae Imperatorem Carolum IV. commouit, ut Principibus Electoribus priuilegium hoc concederet, in diuersas plane sententias abirent, et vnus quisque fere aliam excogitaret ac sibi fingeret, sicuti eam probabilem existimaret. Nonnulli enim, inter quos Io. Franc. Winterus d) Martin. Rumelinum, Io. Limnaeum, Henr. Günth. Thulemarium, Io. Schilterum et Io. Volem. Bechmannum connumerauit, opinati sunt, nullum in hac lege Imperii peculiare priuilegium aut praecipuam praerogatiuam, sed ius mere ordinarium Principibus Electoribus tributum fuisse, et tale potius, quod absque omni imperiali indultu ac largitione habituri fuissent, et re ipsa habuerint, cuiusque adeo caeteri quoque Principes Imperii omnes participes essent; neque enim putandum, Imperatorem Electores integrum quoddam territorium sibi adquisitionuros, a necessitate ipsius antea consensum obtinendi liberare voluisse. Alii contra, quibus potissimum Gerlach.

A 2

Buxtorf.

d) in Diss. laud. Cap. II. §. 2 et 3.

Buxtorffius, Dominicus Arumaeus et Io. Wilh. Itterus accensendi sunt, quorum libros Io. Dan. ab Olenſchlager ^{e)} iam laudauit, ius Feudale Longobardicum illiusque Constitutiones a Lothario II. et Friderico I. Imperatoribus sancitae, quae *II. Feud. 52 et 55.* extant, et alienationes beneficiorum sine consensu domini directi prohibent, ante oculos habuerunt, statuentes, in loco A. B. imprimis de illimitata potestate feuda Imperii in Principes Electores transferendi sermonem esse. Deinde Io. Petr. a Ludewig ^{f)} obseruat, nonnullos inter eosque potissimum Rumelinum ^{g)} existimasse, Carolum IV. Imperatorem in hoc A. B. loco maxime rationem habuisse Constitutionis ab Imperatore Ludouico IV. ao. 1338. sancitae, quae apud Melch. Goldastum ^{h)} extat, et Magistrum generalem vniuersosque Ordinis Hierosolymitani prohibuit, quominus possessiones, iurisdictionem ac terras ab Imperatoribus et Regibus sibi concessas, extra suam potestatem quocunque modo dimitterent. Etenim cum omnis in uniuersum huic Ordini bonorum ad eum spectantium alienatio interdicta fuerit, necessario inde colligi voluerunt, nec Principes Electores eiusmodi bona suae ditioni potuisse adicere, ne tamen his ipsis, quemadmodum caeteris Principibus, haec Constitutio impedimento esset, Imperatorem, quod ad Electores attinet, eidem derogare voluisse. Porro Henr. a Cocceii,

^{e)} c. I. p. 222.

^{f)} *cir. libr. Tir. X. §. 2. p. 909.*

^{g)} *Parre I. Diff. ad A. B. V. Thef. 32.*

^{h)} *Tom. II. Constit. Imper. p. 86 et 87.*

ceii, cuius locum Io. Petr. a Ludewig i) iam laudauit, vniuersam huius priuilegii concessionem soli Regi Bohemiae indultam fuisse, eique tantum vni prodesse posse putat, propterea, quod antea incertum admodum fuisset, num Regi illi tanquam extraneo terras in ipso Germaniae territorio sitas acquirere, iisque regni Bohemiae fines augere atque amplificare liceret. Cum enim ex historia rerumque gestarum monumentis constet, in ea re Germanos semper Bohemorum conatibus valde obstuisse, vir doctissimus sibi persuasit, omnino peculiari gratia Imperatoris Regibus Bohemiae ad nanciscendam facultatem eiusmodi bona acquirendi opus fuisse, ne illis in posterum aliquod impedimentum fortasse obiiici posset. Nec denique defuerunt, qui adeo opinarentur, Imperatorem Carolum IV. maxime Iuris Iustiniani dispositionem, quae, uti e *L. 62. pr. D. de contrah. emt. vendit. et L. un. §. 2. Cod. de Contract. Jud.* intelligimus, Praesides prouinciarum a bonorum in ea, quam moderabantur, prouincia sitorum acquisitione arceret, respexisse, eamque per hunc A. B. locum sustulisse. Cum enim dignitatem ac potestatem Principum Electorum ex veterum istorum Praesidum, quibus Imperatores Romani prouincias administrandas mandauerant, conditione metiri solerent, sicuti potissimum factum ab iis, qui, quoties de Imperatoris Romano Germanici potestate, de Ducum et Principum iuribus et de publico status

A 3

forma

i) in *Diss. de Iure Suffragii Regis Bohemiae nouissime recuperati in Comitibus.*

forma quaestio incidérat, toties ad Ius publicum Romanorum recurrébat, de qua re iam Frid. Gregor. Lautensack ^{b)} valde conquestus est: non potuerunt non facile in hanc cogitationem deduci, vt illis ante hanc Carolinae legis sanctionem bona ac terras Imperii sibi comparare haud licuisse sibi persuaderent.

II.

Notantur quaedam opiniones Io. Franc. Winteri et Io. Petr. a Ludewig occasione huius argumenti prolatae.

Enim vero quemadmodum omnes has sententias iam dudum reiecerunt Io. Petr. a Ludewig, Io. Franc. Winterus et Io. Dan. Olenchlagerus, qui illis examinandis de industria operam impenderunt, ita quoque labori eas denuo excutiendi et confutandi eo tutius superfedere poterimus, quo minus existimamus, adhuc quempiam historiarum et publici iuris non prorsus imperitum, qui illis adensum largiatur, fortasse extitutum esse. Interim tamen licebit adhuc nonnulla adnotare, quae a viris illis doctis non deprehendimus obseruata esse. Ac primum quidem etsi Io. Franc. Winterus fortiter aduersus eos disputauit, qui in hoc A. B. loco peculiare priuilegium Principibus Electoribus concessum agno-

^{b)} in Diss. de inepra ratione decibus Romanis et iure Canonico Erfurthi. dendi controuersias iuris publici ex legi- Ao. 1710. defensa.

17138

agnoscere nolunt, haud tamen videtur genuinam rationem attulisse, cur illam opinionem reprobendam censeret. Nam quod dicit, tandiu hanc Electorum facultatem in dubio privilegium praesumendum esse, donec ex ipsius qualitate euidenter probetur, eam iuris communis esse, cum certum sit, Imperatori amplissima, quibus electoralem resplendere voluit dignitatem, privilegia recensendi consilium fuisse; exinde tam parum perspicitur vera ratio potest, propter quam haec principum Electorum potestas sine speciali Imperatoris consensu terras et regiones acquirendi inter iura ordinaria et caeteris Principibus communia haud connumeranda sit, ut semper potius adhuc remanere quaestio videatur, cur illam necessario privilegiorum peculiarium numero haberi oporteat? Est autem vera huius rei ratio, ut rem paucis complectar, haud dubie inde repetenda, quod Imperator Electoribus, siue feuda Imperii, siue eiusmodi allodia, ab aliis Ordinibus sibi comparandi consilium cepissent, huic desiderio nihil prorsus difficultatis, aut impedimenti obiectum voluit, sed Vasallus Imperii, qui caeteroquin sine eius voluntate feuda et clientelas Imperii alienare prohibentur, quotiescunque tamen ea in Principes Electores transferre cupiunt, necessitatem consensus in hanc alienationem prius impetrandi nullatenus imponere, neque permittere, ut horum Principum facultatem allodiales terras consequendi contradictio Statutum in territoriis Imperii prouincialium, qui partem libertatis censent, quod inuiti in alienam potestatem se transferri haud

haud patiantur ^{l)}, fortasse remoraretur, aut differret. Deinde recte quidem Io. Petr. a Ludewig profligauit opinionem eorum, qui Imperatorem Carolum IV. in hac A. B. sanctione ad Iuris Feudalis Langobardici Constitutiones supra laudatas respexisse dicunt. At vero quando contendit, hanc sententiam ideo locum habere non posse, quod leges hae Langobardis quidem, neuiquam vero Germanis neque in Germaniae territorio latae fuerint, et quod ipsum Ius Feudale Langobardicum hisce temporibus in Germania nondum innotuerit, nescio sane, an multos adhuc, qui ipsi hac in re fidem habeant, sit reperturus. Nam etsi certum est, Constitutiones has non in Germania, sed in Italia potissimum ab Imperatoribus Lothario II. et Friderico I. promulgatas fuisse, tamen nec amplius hodie negari potest, eas non solum Italiae, verum etiam simul Germaniae Principes, quippe qui utriusque Curiae, in quibus hae leges conditae sunt, interfuerunt, obligasse, posteaquam praestantissimi Iurisconsulti Io. Iac. Mascouius ^{m)}, Io. Gottfr. Bauerus ⁿ⁾, et, quem omnium primum nominare debuissim, Perillustris Georg. Ludov. Boehmerus ^{o)} hoc tam praeclare ostenderunt, vt haud facile vlli

1) Hug. Grotius *de Iur. bell. et pac. Lib. III. cap. 20. num. 5.* et Io. Nic. Hertius in *Diss. de Super. territor. §. 5. et 56.*

^{o)} in lib. singul. *de indole et natura expectatiuae et inuestiturae feudalis et de huius renouatione cap. V. §. 120. pag. 190. seq.*

^{m)} *Lib. de iure feudor. cap. I. §. 14. n. 5.*

vlli dubitationi adhuc locus videatur superesse. Atque profecto praeterquam, quod verba II. F. 55. §. 1. *Firmiter etiam statuimus tam in Italia, quam Alemannia*, manifesto innuunt, Constitutionem Friderici I. in Germania valuisse, vel in ipsis exemplis Hartvici Archiepiscopi Bremensis et Vlrici Episcopi Halberstadiensis, quibus propterea, quod in expeditione Italica temere non comparuerant, Feuda Imperii in Curia Friderici I. in campis Roncalicis anno 1154. habita abiudicata fuisse Helmoldus p), Güntherus q) et Otto Frisingensis r) narrant, usum eius cernere nobis licet, vt adeo simul luculentum documentum habeamus, ipsos Germaniae Vasallos ex his legibus iudicatos fuisse. Illis autem temporibus, quibus Aurea Bulla condita est, Ius Feudale Langobardicum in Germania iam dudum notum fuisse, vel inde colligi potest, quod, sicuti Io. Adam Koppius s) docuit, Academiae Seculo XIII. et XIV. ibi institutae, atque in his peculiare scholae Iuris constitutae illius vsui introducendo potissimum profuerunt, cum in his, qui haustam ab Italis Doctoribus iuris prudentiam ibi profitebantur, ius illud peregrinum cum iure Iustiniano diligenter traderent. Hinc et illius recepti certissima vestigia iam Seculo XIV. in monumentis feudalibus occurrunt, in quibus *dat. besbreuene Kayser Recht* appellatur,

cuius

p) Lib. I. Chron. Slauor. cap. 82.
p. 605.

q) in Ligur. Lib. II. vers. 47. seq.
p. 26. seq.

r) de Gestis Friderici I. Lib. II.
cap. 12. p. 452.

s) Hist. Jur. Parr. III. epoch. V.
Tbes. 4. p. 105.

cuius rei exemplum suppeditat sententia arbitraris ab Henrico Domino de Mecklenburg inter Ioannem et Ericum, Duces Saxo Lauenburgicos de hereditate fratris Alberti litigantes Duzauiae ao. 1321, lata, quam Perillustr. Georg. Lud. Boehmerus *) exhibet. Quid quod ipsum adeo Carolum IV. Imperatorem sua iam aetate Ius Feudale Langobardicum tanquam tale habuisse, cui vis legis tribueretur, formulae ac diplomata, quibus legum Doctores aliosue Italos Comites Palatinos creauit, luculenter admodum declarant. In his enim inter leges, quae non debeant obstare legitimationibus spuriorum aliorumque liberorum illegitimorum, Hugolini quoque collectionis Feudorum siue collationis decimae nominatim mentio facta est, id quod satis clare probat charta de anno MCCCLX. apud Adam. Fridr. Glaffey v), vbi Imperator ille Petró de Faxoliuis eiusque heredibus masculis, quos Comites Palatii Lateranensis creauit, potestatem largitur naturales et spurios legitimandi, vt in feuda succedere possint, et expresse addit verba: *Non obstante C. Naturales in decima Collatione; Si de feudo fuerit controuersa, nec aliquibus aliis legibus.* Silentio iam praetereo alias similes chartarum Caroli IV. formulas, quas Io. Wilh. Hoffmannus x) exhibuit, quae dubitare prorsus non sinunt, Iuris Feudalis

Lango-

*) *de aetis. verust. consuetud. feudaliu Longob. collect. §. 19. in Obseru. Iur. feud. iunctim editis, num. 1. pag. 62. seq.*

v) *Tom. I. Anecdor. num. 15. p. 33.*
x) *in Collect. inedit. document. p. 9. et 31.*

Langobardici in Germania illis iam temporibus haud exiguum usum esse oportuisse.

III.

Ostenditur vera causa, quae Imperatorem Carolum IV. impulit ad privilegium hoc Principibus Electoribus concedendum.

Vera autem atque genuina causa, quae Imperatorem Carolum IV. impulit ad privilegium hoc Principibus Electoribus tribuendum, haud dubie potissimum quærenda videtur in peculiari illius studio commodis suis privatis inferendi, atque in primis successoribus in regno Bohemiae, cuius potestatem quovis modo auctam et fines insigniter amplificatos veller, prospiciendi, quo in posterum omnia impedimenta, quae fortasse illorum voluntati terras Imperii adquirendi obiici possent, sublata atque remota essent. Observarunt hoc iam Io. Petr. a Ludewig et Io. Franc. Winterus, qui in causam huius privilegii accurate inquisierunt. Neque video sane, quid Io. Dan. ab Olen Schlager mouerit, ut ab hac sententia diuortium faceret. Facile quidem viro doctissimo largimur, verosimile videri, veteribus iam Archiprincipibus aut in se, aut propter amplissima officia, quibus praefecti erant, concessum fuisse plures adhuc regiones ac terras, praeter eas, quas iam tenebant, sibi comparare, quo nimirum soluti essent veteri illa lege ad inferiores aduersus potentiores tuendos et conseruandam idoneam inter Status

Imperii aequalitatem lata, cuius e Nicol. Cusano y) meminit, quamque breui adhuc tempore ante Auream Bullam conditam oportere notam fuisse, colligi voluit e priuilegio, quo Carolus IV. Imperator Ao. CIOCCCXLVI. Archiepiscopatui Colonienfi omnes ab Antecessoribus suis in Imperio tributas immunitates ac praerogatiuas, inprimis autem facultatem castella, vrbes, arces, terras, regiones ac dynastias et cuncta alia bona sine suo consensu acquirendi clementer confirmauit. Enimuero, quando vir doctissimus exinde argumentatur, Imperatorem Carolum IV. cum omnibus Electoribus pristina iura Antecessorum in Aurea Bulla restituere suscepisset, illam ipsam veterum Archiprincipum praerogatiuam illis propterea denuo concessisse, quod incrementa potentiae ipsorum et augmentum terrarum, quas possidebant, contemplarus esset tanquam praecipua fulcra, quibus collapsam Imperialem dignitatem et auctoritatem stabiliret atque firmaret, profecto haec coniectura eo minus ferenda est, quo magis certum atque expeditum videtur, eam profus falsam causam atque occasionem huius Imperatoriae liberalitatis in se continere. Etenim Imperatorem Carolum IV. nullatenus in vniuersum in hoc A. B. loco voluisse, vt potentia Principum Electorum cresceret, et regiones, quas tenebant, augmenta caperent, sed proprium tantummodo ac familiae suae regni-
que

y) *Lib. III. de Concord. cathol. auctoritate et praeminentia Imperiali VIII. ap. Schardium de Iurisdictione, p. 656.*

que Bohemiae commodum ante oculos habuisse, eo tutius est contendendum, quo plura suppetunt, sane non prorsus contemnenda argumenta, quorum auctoritate id luculenter ostendi queat ac demonstrari. Ac primum quidem, si totum caput A. B. quod continet locum, in quo privilegii Electorum, de quo in praesenti loquimur, mentio facta est, paullo curatius intueamur, facile intelligemus, Imperatorem cum maxime ibi, sicuti etiam in duobus proxime antecedentibus capitibus fecerat, in constituendis et confirmandis iuribus atque praerogatiis Regum Bohemiae occupatum fuisse. Posteaquam enim §. 1. Regibus hisce ius monetas auri et argenti cudendi, quod iam ab antiquo exercuerant, denuo confirmavit, deinceps §. 2. ad illud ipsum privilegium bona adquirendi illis largiendum transgressus, ea verborum serie usus est, quae statim tenorem concessionis valde suspectum reddit. Admodum enim magnifice orditur: *Quodque futuris perpetuo Bohemiae Regibus etc.* totumque hoc privilegium his solis indulgere videtur, reliquorum vero Electorum ne verbo quidem mentionem iniecit, quippe ad quos illud demum sub finem capituli tantum extendit, ut ideo Io. Franc. Winterus ²⁾ haud immerito scripserit, Carolum IV. principaliter omnino et primario sibi, secundario autem et minus principaliter caeteris suis Coelectoribus prospicere voluisse. Deinde satis ex historia rerumque gestarum monumentis constat,

B 3

stat,

x) c. l. c. II. §. 6.

stat, Imperatori Carolo IV. in vniuersum florem atque gloriam domus suae regnique Bohemiae tantopere curae cordique fuisse, vt omnem propemodum occasionem auide arriperet, rebus illius optime consulendi, adeo vt hanc ob causam Imperii Romano Germanici salutem fere negligere ac fusque deque habere videretur. Certe reprehenderunt in eo nimium hoc Bohemos iuuandi studium ipsi illi scriptores, qui aut res gestas huius Principis passim memoriae prodiderunt, aut historiam regni Bohemiae omnem enarrarunt. Nam Io. Cuspinianus ^{a)} aperte de hoc Principe his verbis vsus est: *Imperator, equidem clarus, nisi maiorem regni sui Bobemici, quam Imperii habuisset rationem.* Aeneae Sylvio ^{b)} autem manifesto ille audit *clarus alias Imperator, qui tamen magis Bobemici regni, quam Romani Imperiam gloriam quaesuit.* Ipse etiam Imperator Carolus IV. hunc suum in Bohemiam tanquam regnum paternum peculiarem fauorem ne celare, quidem voluisse videtur, id quod clarissime colligilicet ex iis, quae respondit legatis Electorum, Principum et Ciuitatum, qui Imperii nomine ab illo petierunt, vt filio Wenceslao Bohemiae Regi sedem regiam Pragae permetteret, ipse autem Imperialem sedem et Curiam in Imperio constitueret, cuius rei historiam ex Alberto Argentineni et Rebdorfio Christoph. Lehmannus ^{c)} commemorauit. Et frustra sane

^{a)} in *Op. de Caesar. atque Imp. Rom.*
Num. 286. pag. 385.

^{b)} *Hist. Bobem. Cap. XXXIII. p. 139.*

^{c)} *Chron. Spirens. Lib. VII. c. 34.*

sane Vir Celeberrimus Franc. Mart. Pelzelius ^{d)} in praeclaro
 caeteroquin de vita rebusque gestis Caroli IV. Imperatoris
 opere, quo nihil praestantius in eo genere librorum habe-
 mus, laboravit, quod Principem hunc aduersus hanc obie-
 ctionem defendere voluit. Innumera potius exempla terra-
 rum, quas Imperator ille cum in Germania, tum extra eam
 adquisiuit, et cum regno Bohemiae coniunxit, satis clare
 probant, eum vnice de eo cogitasse, vt prouinciae huic noua
 incrementa pararet. Etenim, vt vnus tantum alteriusue in
 praesenti meminerim, Egram quidem liberam quondam Im-
 perii Ciuitatem, quam vna cum toto territorio pariter olim
 ad Imperium pertinente Imperator Ludouicus IV. Ao.
 CIOCCXV. Iohanni Regi Bohemiae pro summa viginti
 mille, aut, si Bruschio ^{e)} fides habenda, quadraginta mille
 marcarum argenti in pignus dederat, reluendi iure Imperio
 in perpetuum expresse reseruato, vt testantur litterae non
 tantum Electorum, sed etiam Senatus Egrani et Vasallorum
 huius districtus in fidem oppignorationis, cum syngrapha
 eius incendio periisset, Carolo IV. datae, quas Melch. Gol-
 dastus ^{f)}, nec non Christ. Lünigius ^{g)} exhibent, Carolus IV.
 Imperator in corpus Bohemiae redegit, id quod Bolesl.
 Balbi-

^{d)} in Lib. *Kaiser Carl der Vierte* f) *de Regn. Bobem. in Supplem.*
II. Tom. Pragae 1780. et 1781. 8. edito. Actor. publ. p. 297.

^{e)} in *Descript. Egrae apud Munste-* ^{g)} in *C. G. D. Tom. I. p. 118. 119.*
rum lib. III. Cosmograph. cap. 505. 1122. et 1123.

Balbinus ^{b)} memoriae prodidit. Multa etiam Feuda Imperii in subfeuda Bohemiae commutauit, vt adeo nonnulli Status Imperii, quorum catalogum Christ. Lünigius ⁱ⁾ et Ad. Frid. Glaffey ^{k)} texuerunt, reperiantur, qui intuitu quorumdam locorum vasallitico nexu cum Rege Bohemiae copulentur. In vicino autem Misniae Marchionatu fines Curiae clientelaris Bohemicae tam late protulit, vt praeter ipsum Marchionem, quem vrbes ac loca quaedam a Bohemia in feudum tenuisse, charta apud Io. Petr. a Ludewig ^{l)} testatur, etiam Franc. Mart. Pelzelio ^{m)} laudata, adhuc nonnullos alios haberet clientelari iure sibi deuotos. Certe apud Boleslaum Balbinum *in miscell. Regn. Bohem. Lib. III. cap. 2r.* cuius integram locum Io. Petr. a Ludewig ⁿ⁾ nobis sinit, Ao. CIOCCCLXI. die S. Dominici Pragae signatis litteris Hermannus atque Bernardus fratres de Schoeneburg profitentur, ditiones suas omnes ad oppidum Mare spectantes a Corona Bohemiae veluti feudum pendere. Porro Silesiam, et quam hodie vocant Lusatiam Superiorem, quemadmodum apparet e diplomate, quod apud Melch. Goldastum ^{o)} extat, anno CIOCCCLV. cum

^{b)} *in Epitom. Rev. Bohem. Lib. III. cap. 15. p. 311.*

ⁱ⁾ *im Reichs - Archivie Parr. Spec. von Böhmen. p. 409.*

^{k)} *in der Pragmatischen Geschichte von Böhmen. p. 720.*

^{l)} *in Reliq. MSr. Tom. VI. p. 31.*

^{m)} *c. l. Tom. I. pag. 126.*

ⁿ⁾ *in der Vollständ. Erläuterung der gülden Bullen ad Tit. X. §. 2. Tom. I. p. 910. seq. et p. 914.*

^{o)} *in Constir. Imp. p. 375. cf. etiam Balbinus in lit. publ. pag. 55. et Franc. Mart. Pelzel in libro Kaiser Carl der Vierte Tom. II. p. 491.*

cum Bohemiae regno in perpetuum ita coniunxit, vt ne in posterum vnquam ab eo separari deberent, requisitis eam in rem atque etiam impetratis litteris Electorum consensionis testibus p), quibus tamen ne opus quidem videbatur, propterea, quod vtraque illa Prouincia pars Poloniae erant, neutiquam vero Imperii Romano Germanici, neque illius formula continebantur, cuiusque adeo totius consensus Imperatori, si eum desiderasset, nihil amplius prodesse potuisset. Inferiorem quoque Lusatiam a Landgrafis Thuringiae et Marchionibus Misniae Friderico, Balthasare atque Wilhelmo, qui eam a Marchionibus Brandenburgicis Ludouico et Ottone pro viginti vna millibus sexagenis Pragensium denariorum his mutuo datis in pignus tenebant, Imperator Carolus IV. Ao. CIOCCCLXIV. Pirnae, quo Marchiones illos venire iusserat, nemine dissentiente redemit, de eaque Bolkonem Ducem Schwidnicensem, qui eam ex adiecta a Marchionibus Brandenburgicis conditione ad vitae tempus possidere deberet, inuestiuit, reseruato Marchionibus post mortem Ducis pro eadem pecuniae summa reluendi iure q), et cum suspicaretur, Ottonem Marchionem iura, quae adhuc ipsi

p) Extant hae litterae apud Melch. Goldast. in *Commentariis de Regni Bohemiae incorporatarumque Prouinciarum iuribus ac privilegiis Tom. I.* in Append. privilegior. No. XLVII. p. 91.

q) Diploma extat ap. Illustr. Phil.

Wilh. Gerkenium in *Cod. Dipl. Brandenburg. Tom. IV. Num. CCXIII. (a)* p. 390. seq. cf. etiam Franc. Mart. Pelzel c. I. *Tom. II. p. 743. 793. et 795.* nec non Christ. Lünigius in *C. G. D. Tom. I. p. 22. 232.*

ipsi in hanc prouinciam competere, tandem extraneo cui-
dam cedere posse, eum, vt haec filio Wenceslao Bohemiae
Regi pro viginti vna millibus marcis argenti in perpetuum
venderet, commouit, cui venditioni se nec resistere velle
Bolko promisit. Quo quidem facto Imperator hereditarium
Bohemiae regnum rursus noua regione, quae ab ipso aequae,
ac Lusatia superior penderet, haud parum locupletauit, quam
deinceps vna cum Dynastiis, Mühlbergensi, Strehlensi et
Würdenhemensi anno CIOCCCLXX. per litteras maiestatis,
(Maieffats-Brief) quas Bolesl. Balbinus ¹⁾ nobis seruaui,
in perpetuum cum Bohemia vniuit. Silentio iam praetereo
alia exempla terrarum a Carolo IV. adquisitarum, quae ani-
mum eius fines Bohemiae latius proferendi admodum clare
testatum faciunt, et a Franc. Mart. Pelzelio, quem aliquoties
iam laudauimus, largiter conducta sunt. Adeo etiam dili-
genter Imperator ille curauit, ne fortasse haec eius mens vana
reddetur a quoquam, aut irrita; vt in diplomate apud Melch.
Goldastum ²⁾, quo omnia Regni Bohemiae priuilegia con-
firmauit, suos in eo successores eo adstringeret, quo minus
ynquam, aut vlla ratione haec loca atque possessiones a Bo-
hemia seiuingerent; quodsi tamen Rex quisquam futurus in
contentum huius sanctionis et in regni detrimentum hoc
fecisset, aduersus eum hanc sententiam dixit: *dass er diesfalls*

¹⁾ in litt. publ. p. 264. cf. etiam
Franc. Mart. Pelzel c. I. Tom. II.
p. 831.

²⁾ c. I. Tom. II. in den Beylagen
No. XXXII. p. 223. cf. etiam Franc.
Mart. Pelzel h. c. Tom. II. p. 454.

in eine Peen und einen öffentlichen Meineyd gefallen seye. Principes autem Dynastas, ac Nobiles, omnesque alios, cuiuscunque etiam fuerint conditionis, dignitatis aut status, qui Regi, ut eiusmodi alienationem susceperet, suassissent, aut in eam consensissent, criminis laesae maiestatis reos censi et tanquam pacis et concordiae turbatores regnique deuastatores bonis, fama, honoribus ac iuribus suis priuari iussit, ita etiam, ut vnusquisque eos adeo ad mortem vsque persequi posset. Praeterea obstrinxit quoque successores in Regno Bohemiae, ut ante quam coronarentur, praesentibus Regni Ordinibus iureiurando promitterent, se hanc Imperialem Constitutionem sancte seruaturos esse, neque vnquam loca illa ac bona a Regno separaturos. Neque vero solum ex multitudine terrarum, quas Imperator Carolus IV. in Germania et extra eam adquisiuit, sed et ex sedulo et anxie quaesitis illis cautionum formulis, quibus in literis emtionum atque confirmationum tam crebro vsus est, animi illius in dolens ac stupenda Bohemiam augendi cupiditas perspicitur, id quod iam Illustr. Phil. Wilhelm. Gerkenius *) obseruauit. Atque haec quidem sine dubio etiam causa fuit, ut Principes nonnulli sibi ab Imperatore Carolo IV. stipularentur, ne in ipsorum territoriis amplius bona sibi compararet. Eiusmodi stipulatio occurrit in pacto inter Imperatorem illum et Ludouicum, dictum Romanum Marchionem Brandenburgi-

C 2

cum

*) in Cod. Diplom. Brandenb. Tom. III. pag. 227.

enim Ao. CIOCCCLIV. fancito, quod apud Gelaf. Dobnerum ν) et Frid. Wilh. Sommersbergium \ast) extat; nec non in conuentione inter Carolum IV. Imperatorem et Stephanum Ducem Bauariae Ao. CIOCCCLV. inita, quam Illustr. Frid. Christ. Ionath. Fischerus γ) exhibet; item in transactione inter eundem Imperatorem et Ludouicum Romanum eiusque fratrem Ottonem Ao. CIOCCCLX. facta, cuius formulam Christ. Lünigius z) edidit. Nam etsi in conuentionibus illis Principes paciscentes sibi inuicem promiserunt, nolle se alterius subditos atque Vasallos in ministerium adsumere, nec castra, vrbes ac praedia in alterius territorio emere, facile tamen est ad intelligendum, mutuam illam renunciationem duntaxat potissimum ad Carolum IV. ea in re circumscribendum, a Ludouico, eius potentiae aemulo et Ottone excogitatam, et pactis illis insertam fuisse, cum Imperator non opus haberet sibi tali modo prospicere, utpote quem constat opibus, potentia atque prudentia in rebus agendis utroque, tam Ludouico, quam Ottone, longe superiorem fuisse, ita ut ab his nihil mali illi timendum esset.

Neque

ν) in *Monum. hist. Bobem. inedit.*
Tom. IV. p. 349.

γ) in libello *Ueber die Geschichte des Despotismus in Teutschland* in Append. Document. No. XIV. p. 136.

\ast) *Script. rer. Silesiac. Tom. I.*
pag. 394. cf. etiam Franc. Pelzel c. l.
Tom. I. p. 405. seq.

z) in *C. G. D. Tom. I. p. 1218.*
cf. etiam Pelzel c. l. *Tom. II. p. 629.*

Neque minus eius rei documentum praebet pactum illud ^{a)}, quod Imperator Carolus IV. eiusque filius Wenceslaus cum omnibus Comitibus Palatinis ad Rhenum et Ducibus Bauariae Ao. CIOCCCLXXIV. Norimbergae inierunt, vbi, posteaquam Imperator ille iam a Ruperto, Comite Palatino, Ao. CIOCCCLIII. plura loca, vrbes et castra, quo eo liberius ac tutius e Bohemia in Germaniam proficisci posset, pro triginta ac duobus mille marcis argenti emerat ^{b)}, atque cum consensu agnatorum lineae tam Palatinae, quam Bauariae, nec non singulorum Electorum Ao. CIOCCCLV. in corpus bonorum Bohemiae redegerat, vterque pro se et heredibus solemniter stipulati sunt, se nec Ducum Bauariae, nec Comitum Palatinorum Ducatus, Principatus, Dynastias, vrbes aut alia loca, quae iam possident, aut in posterum nascuntur, vlllo vniquam modo acquirere velle, id quod tamen Comites Palatinos et Duces Bauariae Imperatori vicissim in hoc pacto pollicitos esse haud apparet. Ex his autem omnibus quemadmodum luculenter animaduertere licet, Carolum IV. Imperatorem Regni Bohemiae incrementis nihil prius et antiquius habuisse, ita etiam existimamus, clarissime confirmari posse

C 3

id,

^{a)} Extat hoc pactum in den Anmerkungen über die unpartheyischen Gedanken eines Ungenannten wegen verschiedener Fragen in der Bayrischen Successions-Sache, besonders über das vierte Hauptstück, die Böhmisches Leben in

der obern Pfalz betreffend München 1778. 4. in den Beylagen Num. 2. pag. 4.

^{b)} Litterae emtionis leguntur ap. 10. DuMont. Corp. vniuers. diplomat. Tom. I. P. 11. p. 289.

id, quod supra diximus, eum nempe in concedendo hoc privilegio, de quo nobis sermo est, magis Regis et Electoris Bohemiae, quam caeterorum Principum Electorum rationem habuisse. Et haud dubie recordatus est Imperator barbarum, quas Seculo XIII. per vniuersum Imperium, vti Io. Dubravius c), Gerh. de Roo d) et Hieron. Megiserus e) memoriae prodiderunt, excitauerat exemplum Ottocari, Bohemiae Regis, qui tempore interregni Ducatus Carinthiae et Styriae ab ultimo Duce Vlrico magna pecuniae summa redemerat, ad quos tamen illi eripiendos deinceps Imperator Rudolphus I. Habsburgicus omnes Imperii Principes ad arma vocauit, nec prius quieuit, quam eos Regi, vna cum vita extorsisset, quod factum in proelio ad Marchfeldam Austriae Ao. CIOCCCLXXXIII. commissio. Itaque ne id rursus fieret, Carolus IV. qui bene nouerat, quanto odio Germani Bohemos prosequerentur, quippe quorum potentiam fractam magis, quam auctam vellent, occasionem arripuit, successores suos in Regnum Bohemiae ita in tuto collocandi, vt illis possessiones adquirentibus nihil impedimenti in posterum obici posset. At vero cum simul praecideret, se hunc finem sibi propositum facilius longe consecuturum esse, si eodem privilegio, quo Reges Bohemiae praeditos esse

c) Lib. XXVII. Hist. Bobem.

Rudolpho I. vsque ad Carolum V. gestarum; ad annum 1274.

d) in Annalibus Rerum ab Austriae Habsb. gentis Principibus a

e) in Annalibus Carinthiae Lib. VIII. cap. 37.

esse veller, etiam reliquos Electores ornaret, hos ipsos quoque illius participes reddidit.

Genuinus huius privilegii tenor exponitur.

Quousque hoc privilegium S. R. I. Principum Electorum se extendat, id iam ita copiose Io. Franc. Winterus §) docuit, ut negotio illud deavo ostendendi facile superfedere possemus. Ne tamen hunc locum plane intactum reliquisse videamur, nonnulla quoque de amplitudine et finibus huius peculiaris iuris dicenda erunt. Ac primum quidem quod ad terras attinet, quas Electores sine speciali Imperatoris consensu acquirere possunt, tenendum est, huc pertinere territoria immediata Imperii, tam allodialia, quam feudalia, neque minora tantum, aut qui a Nobilibus fortasse immediatis possidentur, pagos ac vicos, sed etiam maiora, uti Ducatus, Principatus, Comitatus atque Dynastias. Textus enim A. B. usus est vocibus: *quascunque terras*, et paullo post meminit bonorum tam *propriorum*, quam eorum, *quae in feudum dependent*, neque vlllo modo distinxit inter terras ac regiones, siue maiores sint, siue minores, quae adquiri possunt. Ex quo consequitur, nec terras ecclesiasticas, Episcopatus

§) c. l. Cap. III. §. 1. sqq.

patus nempe, Abbatias, Praelaturas, et quae sunt eius generis, alias, hic exemptas esse, cum earum aequae ac secularium bonorum comparandorum potestatem Electores nacti esse videantur. Deinde si spectes eos, qui in Principes Electores bona transferre possunt, nominantur hoc loco Principes, Magnates, Comites et aliae personae. Et Principum quidem vocabulum quemadmodum haud dubie hic latissimo sensu sumtum, non tantum Principes in specie sic dictos, sed et Duces atque Marchiones aliosque, tam seculares, quam ecclesiasticos denotat, ita Magnatum nomine reliquos Imperii Proceres ac Dynastas Imperator complecti voluit. *Comites* autem et *alias personas* illis ideo adiunxisse videtur, quod nullos plane limites amplissimo huic privilegio positos neque ullam prorsus personam exceptam voluit. Vnde nec dubitari potest, quin etiam Nobiles Imperii immediatos hac sanctione simul comprehenderit. Neque inepte Io. Franc. Winterus §) contendit, concessionem huius privilegii non solum in his, qui immediate Imperio parent, subsistere, sed etiam ad eos simul pertinere, qui quod ad personam ipsorum attinet, mediati quidem tantum Imperii ciues existunt, aliquo tamen legitimo modo territoriorum quorundam immediatorum possessionem sunt consecuti, quippe a quibus perinde, ac ab aliis immediatis Electores bona haec immediata in suam potestatem recipere possunt. At omnino, uti in omni alienatione,

§) s. l. Cap. III, §. 3.

natione, in his, qui terras suas in Principem Electorem transferre cupiunt, requiritur, vt legitimum earum habeant dominium, licet caeteroquin parum referat, vtrum directum illud sit, an tantummodo vile. Et quemadmodum Imperator Carolus IV. per hoc priuilegium suis tantum iuribus derogare potuit, neuiquam vero simul detrahere aliquid de potestate eorum, sine quorum voluntate eiusmodi terrarum alienatio locum non habet; ita in se intelligitur, in Feudis Imperii in Principem Electorem transferendis agnatorum et simultanee inuestitorum aut eorum, qui ex pactis confraternitatis, si forte talia adsint, iure succedendi gaudent, consensu opus esse, quippe qui Io. Wilh. Itrero ^{h)} obseruante, in clientelis Imperii haud secus, ac in aliis feudis desideratur, in territoriis autem ecclesiasticis alienandis Capitulorum auctoritatem requiri oportere, nec non in distrahendis allodialibus Imperii terris Ordinum prouincialium voluntatem ⁱ⁾. Negotia autem, per quae Electoribus hoc ius suum praecipuum exercere permissam, Imperator haec potissimum nominat, vt nempe *eis licent emere, comparare, seu in donum vel donationem ex quacunque causa, aut in obligationem recipere.* Neque enim solum iis concessit facultatem terras acquirendi titulo oneroso per emtionem, et quam sub ea simul complexus esse videtur, permutationem, sed etiam titulo lucratiuo, vt

^{h)} de Feud. Imp. Cap. XXIII. §. 8.
et Cap. XVII. §. 13.

ⁱ⁾ Io. Nic. Hertius in Diss. de Superioris. territor. §. 65.

ut nempe per donationem, tam inter viuos, quam mortis
 caussa, nec non per pacta confraternitatis et ganerbinatus cum
 aliis Imperii Ordinibus sancita, aut etiam ex eorum testa-
 mentis, regiones consequi possint, sicuti hoc plenius expli-
 cuit Io. Petr. a Ludewig ^{k)}, qui etiam obseruat, Imperato-
 rem in verbis *in obligationem recipere*, respexisse haud dubie
 oppignorationes, pacta antichretica et reluitionis, nec non
 alias eiusmodi conuentiones, cum certum sit, eum, cui
 liceat bona sua in perpetuum emere ac vendere, nec pro-
 hiberi hunc contractum ad tempus tantum aliquod celebrare,
 Caeterum quamquam Imperator non satis expresse declarauit,
 vtrum hanc praerogatiuam Electoribus concessam tantum de
 terris immediatis, an etiam de mediatis simul intelligi veller,
 videntur tamen verba illa: *quod ipsis Reges Bobemiae de iis,*
quae hoc modo comparauerint vel receperint, et Regno Bobemiae
duxerint adplicanda, ad pristina ac consueta iura, de talibus sacro
explenda et reddenda Imperio sint adstricti, quodammodo indi-
 care, hoc loco sermonem tantum de immediatis Imperii
 regionibus ac terris, neuiquam vero de mediatis esse
 debuisse. Neque enim voluit Imperator per hanc dispo-
 sitionem Principes Germaniae obstringere, vt alienationes
 bonorum a subditis sine ipsorum consensu susceptas ratas
 haberent, sibi que potentiores subditos atque vasallos ob-
 trudi paterentur. Nam etsi fuerunt, qui hanc Imperatoris
 muni-

k) c. l. p. 915. 1107. et.

munificentiam ad medietas quoque Imperii terras extendendam esse censere, grauiter tamen eorum opinionem Io. Franc. Winterus ¹⁾ retudit, qui hanc quaestionem copiose admodum tractauit.

V.

Num Principes Electores etiam hodie adhuc gaudeant facultate terras Imperii sine peculiari Imperatoris consensu acquirendi?

Supereffet adhuc, vt disquireremus, num etiam hodie adhuc praerogatiuae illius, in qua illustranda hactenus occupati fuimus, exercendae facultas Serenissimis S. R. I. Electoribus competat. Quae quidem disquisitio vel propterea necessaria videtur, quod, quemadmodum apparet ex iis, quae Io. Franc. Winterus ^{m)} eam in rem notauit, fortasse existimari posset, illam partim per non usum exoleuisse, praesertim cum raro huius exercitiae vestigia in rerum gestarum monumentis deprehendantur, partim Principes illos huic suo iuri tacite veluti eo renunciaisse, quod ad pacta confraternitatis ineunda Imperatoris consensum requisierunt, cuius rei exemplum praebet vel notissimum illud pactum confraternitatis inter Electorem et Ducem Saxoniae Electorem et Marchiones Brandenburgicos, nec non Landgrauium Hassiae,

D 2

Num-

1) in Diff. laud. Cap. IV. §. 1. seq. m) c. l. Cap. IV. §. IX. et X.

Numburgi Ao. CIOICXV. in initum n), cui expressam Imperatoris confirmationem accessisse compertum habemus. Sed cum omnes has dubitationes iam fortiter disiecerit Io. Franc. Winterus, qui ex instituto de hac re disputavit, huic disquisitioni eo magis superfedere posse nobis visum est, quo validioribus argumentis vir ille doctus evicit, illud ipsum ius Principibus Electoribus vel hodiernum saluum atque incolume esse, quandoquidem praeclare obseruat, Electores, licet non per emtionem atque venditionem aliasque eiusmodi conventiones, terras adquisierint, alio tamen modo, veluti successione iure, vel nonnumquam etiam per connubia, eas nactos fuisse, adducto simul exemplo Archiepiscopatus et Electoratus Colonienfis, ad quem, sicuti ex historia o) constat, integer Comitatus Arensbergensis ab ultimo possessore eius Godfrido Comite Ao. CIOCCCLXVIII. peruenit, vbi tamen scriptores ne verbo quidem meminerunt Imperatoris consensum vel tanquam ex necessitate efflagitatum, vel sponte etiam ad valorem actui conciliandum, interpositum fuisse. Neque nostris temporibus rem aliter se habere posse vel inde colligitur, quod Imperator in Capitula

n) *Limnaeus Tom. II. I. P. Cap. VIII.* Halae 1708. defensa. cf. etiam *Winter Tom. IV. §. 172.* nec non *Diet. Herm. Kemmerich in Diss. de Pacto Confraternitatis Saxonico - Brandenburgico - Hassiaco,* praeside Henrico Bodino Paderborn. p. 227.

o) cf. *Chron. Colon. p. 269.* *Broweri Annal. Treuir. Lib. XLIX.* et *Monum. Paderborn.* p. 227.

pitulatione p) etiam promisit, velle se Electorum Imperii praerogativas, dignitates atque peculiaria iura, quae ipsis in A. B. expresse concessa sunt, salva atque integra conservare. Veruntamen negari haud potest, recentiori aetate atque potissimum hoc Seculo Imperatorem et primarios Imperii Ordines ipsosque adeo Electores longe aliter de usu huius privilegii iudicasse. Nam cum Fridericus IV. Daniae Rex Ducatus Bremensem atque Verdensem Christinae, Reginae Sueciae, in pace Westphalica q) concessos, sed Carolo XII. Sueciae Regi Ao. CIOIOCCXII. ereptos, Georgio I. Magnae Britanniae Regi et Electori Brunsvicensi et Lüneburgensi per peculiarem conventionem Wismariae Ao. CIOIOCCXV. initam pro summa sexcentorum millium Imperialium vendidisset, huic vero ipsa etiam Ulrica Eleonora, Regina Sueciae illos deinceps in pace Holmiae Ao. CIOIOCCXIX. conclusa, cederet, nemo sane dixerit, hos Ducatus ab Electore modo nominato sine Imperatoris atque Imperii consensu adquirentes fuisse. Nam primum quidem ex ipsis tabulis pacis Holmienfis, quae apud Io. Du Mont r) prostant, in primis illius Art. III. quem integrum etiam exhibet Io. Iac. Moserus s), perspicue intelligitur, Sueciae Reginam iura feudi, quae ipsa

D 3

illius-

p) Art. 3. §. 4.

drois des gens Tom. VIII. Parr. 2. p. 14.

q) Art. X. §. 1. seqq.

s) *im Teutsch. Staats-Recht Tdm.*r) *Corps universel diplomatique du* XXXIV. pag. 532.

illiusque maiores in his Ducatibus consecuti erant et hucusque habuerant, Imperatori atque Imperio tanquam domino directo refutasse. Iam vero ex principiis Iuris feudalis, tam communis, quam Imperii notum est, et praeterea ostensum fatis a Io. Ott. Tabore t), Christ. Gottl. Budero v) et Imman. Webero x), qui hoc clientelaris iuris argumentum ex instituto excusserunt, refutationem feudorum, quotiescunque suscipiatur non in fauorem successoris feudalis et in inuestitura comprehensi, sed in commodum extranei, ut in praesenti specie factum erat, non nisi ex domini directi consensu vim et valorem sortiri. Itaque cum haec refutatio feudi vtriusque Ducatus tum facta sit, quomodo sane dici posset Elector Brunsvicensis et Lüneburgensis has regiones absque Imperatoris consensu acquisiuisse? Deinde constat etiam ex historia rerumque gestarum monumentis, Imperatorem antea plane noluisse hanc cessionem ratam habere, sed diu detretasse consensum in eam dare, donec tandem Elector occasionem inuenerat Imperatorem permouendi, ut hac in re illius desiderio satisfaceret. Etenim Auctor *der Reichs-Fama* y), posteaquam narrauerat, Fridericum Regem et Ordines

t) in *Diff. de Refutatione feudis.*

v) in *Diff. de Resignatione dominii in feudo.*

x) in *Diff. de Refutatione feudorum Imperii.*

y) *Part. XIII. Cap. XIX. §. 5. pag. 612.* cf. etiam Io. Iac. Moserus in *Reichs-Hofraths Prozesse P. III. Cap. III. §. 50.*

nes Regni Suecici pacem Holmiensem approbasse, sic scribit: *allein der Kayser, dessen Consens, als Lebenherrns, hierbey allerdings auch nöthig ware, wollte nicht daran, aus Ursachen, die sich vielleicht ohnschwer errathen, nicht aber sowohl schreiben lassen.* Neque prius, quam demum d. V. Febr. Ao. CIOCCCXXXIII. inuestitura solemniter de utroque hoc Ducatu coram throno Caesareo secuta est, quemadmodum apparet ex relatione de hac beneficiaria inauguratione, quae apud Perillustr. Georg. Lud. Böhmerum ²⁾ prostat. Atque sic nec Rex Borussiae et Marchio Brandenburgicus S. R. I. Elector urbem Sedinum, quam ipsi vna cum vicino tractu cesserat Ulrica Eleonora Sueciae Regina, sine Imperatoris voluntate acquisiuit. Nam litterae ab hac Regina ad Imperatorem missae, quas Io. Iac. Moserus ¹⁾ exhibet, clarissime ostendunt, illam rogasse Imperatorem, ut transactionem hanc cum Rege et Electore super nominata ciuitate et locis ad hunc tractum pertinentibus initam, ratam atque firmam habere vellet. Omnium autem maxime hoc probat illustre illud exemplum, quod ipsa nostra aetas vidit, cuiusque paucis adhuc meminisse operae pretium fuerit. Postquam nempe Maximilianus Iosephus, Dux Bauariae et Comes Palatinus ad Rhenum, S. R. I. Elector, die XXX. Decembris

Ao.

1) in *Principiis Iuris Feudalis* in Appendice Docum. No. XVII 2) in *Reichs-Hofraths-Prozesse* P. IV. Cap. VII. §. 53.

Ao. CIOCCCLXXVII. rebus humanis exemptus, et cum eo uniuersa linea Wilhelmina extincta erat ^{b)}, ei non tantum iure sanguinis et tanquam proximus agnatus, qui ab Ottone Illustri, Comite Palatino ad Rhenum et Duce Bauariae descendebat ^{c)}, sed etiam secundum vetus illud pactum Ao. CIOCCCXXIX. Ticini inter lineam Wilhelminam et Rudolphinam ^{d)} cum consensu omnium Electorum initum ^{e)}, cuius fundamento etiam pacta familiae Ao. CIOCCCLXVI, et CIOCCCLXXI. sancita nitebantur, vi iuris primogeniturae in linea Rudolphina introductae, et propter Constitutum possessorium de die XIX. Iunii Ao. CIOCCCLXXIV. ^{f)} Carolus Theodorus, Palatinus Elector in

b) Ill. Joh. Steph. Pütter *Grundriss verlassene sämmtliche Lande und Leute der Staats-Veränderungen des teutschen Reichs* Götz. 1789. §. 116. p. 292. et Eiusd. *Historische Entwicklung der beut. Staatsverfassung des teutschen Reichs* T. III. Götz. 1788. p. 186.

c) *Vorlegung der Fidei-Commissarischen-Rechte des Kur- und Fürstl. Hauses Pfalz überhaupt, und des regierenden Herrn Herzogs zu Pfalz-Zweibrücken, als dormaligen nächsten Agnaten und Kurfolgers insönderheit, auf die von dem am 30. Dec. 1777. höchstselig verstorbenen Herrn Kurfürsten Maximilian Joseph in Bayern, als dem Letzten aus der Wilbelm. Linie*

verlassene sämmtliche Lande und Leute Zweybr. 1778. §. XXII. p. 18. fgg.

d) *ibid.* §. XXVI. p. 22. fgg.

e) *ibid.* §. XXX. p. 27. et Scheidii *Bibl. Hist. Götting. in Specim. Cod. Dipl. Bav. pag. 249. fgg.*

f) *Vorlegung der Fidei-Commissarischen Rechte* cet. §. XLIII. p. 49. et §. LXXXV. p. 109. cf. etiam *Beleuchtung und Erörterung der Erbherzogl. Oesterreich. Ansprüche auf Niederbayern* 1778. p. 50. nec non Pütter. *Entwicklung der beutigen Staats-Verfassung des teut. Reichs* T. III. p. 186.

in omnes terras ac regiones ab illo relictas successerat. Sed Iosephus II. Imperator nonnulla in Bauaria et Palatinatu Superiori sita, partim maiora, partim minora Feuda Imperii a sola domo Bauarica extincta ex pacto Ticinensi modo laudato possessa, inprimis Landgrauiatum Leuchtenbergensem, Comitatus Wolfenstein, Haag, Hals et Schwabeck, Dynastias Hohenwaldeck et Hohenschwangau, praedia et iura in Dynastia Wisensteig, Iudicium prouinciale Hirschbergense, feuda Freudenbergensia in Palatinatu Superiori, Degenbergensia in Iudicio Degenberg, et Scharffensteinensia, Bannum in Rotenek, Dyffenhaus, Mattsies, nec non in urbe et tractu Schwäbischwörthenfi vna cum aliquot praediolis ibi sitis, item in Illerdissen et Werdingen g), sine praeuia disquisitione, tanquam ipsi et Imperio aperta, per litteras parentes de die XVI. Ianuarii Ao. CIOCCCLXXXVIII. per Adamum Franciscum, S. R. I. Comitem ab Hartig Commissarium Imperialem occupari iusserat i). Ad haec
vero

g) *Vorlegung der Fideicommissar. des Staatsgeschichte des Kriegs zwischen Oesterreich und Preussen. Cap. 3. p. 24. et Einl. d. Teubnischen Friedensschluss von 1779. in den Anmerk. zum. XIII. Art. §. 1. p. 149.*

Rechie §. CXXXVIII. p. 186. cf. etiam Ioh. Steph. Pütter Grundriß der Staatsveränder. des teur. Reichs. §. 116. p. 292. et Einl. d. Entwicklung der heut. Staatsverfass. des teur. Reichs T. III. p. 188.

h) *Pfalz - Zweibrückische Vorlegungs-Urkunde p. 6. cf. Ioh. Iac. Mo-*

i) *Beleuchtung und Erörterung der Erzherzogl. Oesterreich. Ansprüche auf Niederbayern §. Absch. §. 64. p. 69.*

E

vero Palatinus Elector die XXIX. Ianuarii Ao. CIOCCCLXXIX. non solum regessit, satis in Imperio notum esse, feuda illa tantum propter bene merita, ideoque ex causa ad vtramque lineam, tam Wilhelminam, quam Rudolphinam spectante, concessa esse, sed etiam sperauit simul, illa in posterum cum Electoratu suo coniuncta mansura esse, praesertim cum vna cum caeteris Palatinae domus terris, potissimum quod iura territorialia attinet, ita confusa essent, vt plena eorum separatio infinitis difficultatibus subiecta videretur ^k). Quod quidem desiderium suum sicuti exposuit primariis Imperii Ordinibus per litteras, quas circulares ^l) (Circularschreiben) vocant, petens insimul ab iis, vt preces has auctoritate sua apud Imperatorem iuarent, quo ipsi eo facilius feuda illa conferrentur, ita illud post restitutam pacem denuo iterauit. Inprimis vero qui Palatinae Electoralis et potissimum Ducalis Bipontinae domus causam agebant, prouocabant ad priuilegium Electoribus in A. B. concessum, vi cuius terras Imperii sine Imperatoris consensu acquirere possunt, et maxime vrgebant, priuilegium hoc pactis familiae Palatinae et Bauaricae domus, modo a nobis memoratis, novum

^k) Io. Iac. Moser Nachtrag zu seinen Anmerkungen über den Teufelsbühnen Friedens - Schlus: Arr. XIII. §. 6. pag. 15.

^l) Einsd. Staatsgeschichte des Krieges zwischen Oesterreich und Preussen Cap. III. §. 42. pag. 44.

vum atque grauissimum pondus parare posse ^{m)}). Interim tamen apparet ex mutuis illis litteris, quas domus Austriaca et Rex Borussiae ad se inuicem scripserunt, et quarum tenorem Io. Iac. Moserus ⁿ⁾ exhibet, Imperatorem atque Imperium feuda illa Imperii tanquam aperta contemplatum esse. Tandem paci Teschenensi peculiaris articulus insertus est, qui ad Feuda illa Imperii spectat, cuius verba ita se habent ^{o)}: „Sa Maieité l'Imperatrice-Reine se joindra à Sa Maieité Prussienne, à Msr. l'Electeur Palatin, et à Msr. le Duc des Deux-Ponts pour requérir Sa Maieité l'Empereur et l'Empire de vouloir bien conférer à Son Altesse Electorale Palatine, tant pour elle que pour toute la Maison Palatine, les fiefs de l'Empire situés tant en Bavière qu'en Souabe, tels qu'ils ont été possédés par le feu Electeur de Bavière; et pour convaincre d'autant plus l'Electeur Palatin de la sincerité de ses intentions pour sa personne et en faveur de Sa Maison, Elle promet de l'employer aussi à faire abandonner l'administration des dits fiefs à Son Altesse Electro-

E 2

rale

m) *Vorlegung der Fideicommissarischen Rechte* etc. §. LXXXI. sqq. et §. LXXXV. p. 105. sqq. et 109.

n) Ioh. Iac. Moser in den *Anmerk. zum Tesch. Friedens-Schlusse* Arr. XIII. §. 2. no. 4. p. 151.

o) *Traité de paix entre Sa Maie-*

ité l'Imperatrice, Reine de Hongrie et de Bohême, et Sa Maieité le Roi de Prusse conclu et signé à Teschen le treize May. (1779.) Arr. XIII pag. 8. seq. in Car. Frid. Gerstlacheri Corp. Iur. Germ. publ. et privati. Tom. III. Cap. VII.

rale immédiatement après la ratification du présent Traité de paix.“

Quem etiam Articulum Ordines Imperii in Comitibus probauerunt p). Facta enim a Principibus, qui Articulo XIII. Pacis Teschenensis nominati sunt, ea de re ad Imperatorem relatione q), precibusque illorum per litteras de die XI. Augusti CIOCCCLXXVIII. r) mediante dictatura Imperii duobus superioribus Imperii Collegiis ad probandum propositas, tandem secutum est Caesariae Commissionis decretum de die IX. Augusti CIOCCCLXXIX. eius tenoris, ut res ad Imperatorem referretur s), quod decretum etiam deinceps Directorium Imperii Moguntinum utriusque illi Senatui priuatim, ut vox comitalis sonat, dictavit, illosque, ut eius rei causa deliberarent, conuocauit t). Quo facto tandem die XXIX. Februarii Ao. CIOCCCLXXX. placitum Imperii secutum, ut supra memorata Feuda Imperii vacantia, quemadmodum ea defunctus Elector Maximilianus Iosephus possederat, Electori Palatino eiusque domui vniuersae denuo concederentur, saluis tamen iuribus eorum, qui ius sibi adhuc

p) Ioh. Iac. Moser *Nachtrag zu seinen Anmerk. zum XIII. Art. §. 19. pag. 26.*

q) *ibid. §. 6. pag. 14.*

r) *ibid. §. 9. pag. 18.*

s) *ibid. §. 11. p. 19. et §. 19. p. 26.*

t) *ibid. §. 12. et 13. pag. 20.*

adhuc in nonnullas has clientelas Imperii competere existimarent v). Quae cum ita se habeant, et cum Articulus XIII. pacis Teschenensis expresse testetur, Reginam Hungariae atque Bohemiae, Regem Borussiae, nec non Electorem Palatinum vna cum Duce Palatino-Bipontino ab Imperatore atque Imperio coniunctim petere voluisse, vt supra memorata feuda Imperii, tam in Bauaria, quam in Sueuia sita, Electori Palatino illiusque vniuersae domui eodem modo, quo a defuncto Electore Bauariae possessa sunt, denuo conferrentur: manifesto exinde simul apparet, Electorem hunc regiones illas ac Feuda Imperii non aliter, nisi cum Imperatoris atque Imperii consensu nactum esse.

v) *ibid.* §. 19. p. 26.

ULB Halle
003 015 432



3

sb.





1791, 22.

EXERCITATIO IVRIS PVBLICI
 DE
PRAEROGATIVA S. R. I. PRINCIPVM
 ELECTORVM SINE SPECIALI IMPERATORIS
 CONSENSV TERRAS IMPERII ACQVIRENDI
 AD ILLVSTRANDVM LOCVM AVREAE BVLLAE
 CAP. X. §. 2. et 3.

QVAM
 ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
 AVCTORITATE
 PRAESIDE

D. CHRISTIANO RAV
 SVPREMAE CVRIAE PROVINCIALIS ET FACVLTATIS IVRIDICAE ASSESSORE
 INSTITVTIONVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

A. D. XII. MAII A. C. N. C1810CCXCI
 H. L. Q. C

DEEENDEE
 AVCTOR

IOANNES CHRISTIANVS KNOETZSCHKER
 IVR. VTR. BACCAL.
 FRIBERGA - MISNICVS

LIPSIAE

EX OFFICINA SOMMERIA

